



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Deum Sanctis suis multa occulta reuelare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

non in hoc iustificatus sum, ait Apostolus. Et Ecclesiastes: Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta, eò quòd uniuersa aequè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemneri. Sicut bonus, sic & peccator: ut periurus, ita & ille qui verum deierat.

Ita sanè est, nemo scire potest, quid alter cogitet, aut in peccatore clausum gerat. Quanto autem minùs quis scire potest ea, quæ sibi Deus seruauit, aut in consilio suo statuit? Nihilominus sicut Princeps nonnumquam fido sibi homini secreta animi sui pandit, ita & Deus subinde amicis suis futura occultaque reuelauit. Quàm multis antè annis Noè diluuium prædixit? Quàm clarè Abrahamo patefecit interitum Sodomitarum? Num celare poterit Abraham, qua gesturus sum? ait. Quàm disertè Elifæus dixit ad Giezi: Unde uenis Giezi? Nonne cor meum in presenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Quàm seuerè Petrus sacrilegum manifestauit illis verbis: Anania cur tentauit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Prophetis & Patriarchis in veteri testamento, Apostolis & Sanctis in nouo testamento, quot futura Deus, quàm occultas res non aperuit? Nimirum sciebat eos non curiositate gauisuros, aut triumphaturos uanitate, sed scientia illa reuerenter, atque ad hominum utilitatem vsuros. Confiteor tibi, Pater, Domine cali & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, ait Seruator. Talem paruulum, cui Deus multa reuelauit, non superbè ea iactanti, sed ostendenti, cum simplicibus esse sermocationem eius, adducam, ut ab eo discamus, quo pacto bellum sit finiendum, & pax impetranda, orando potiùs, quàm dimicando: maior enim spes est in uotis, quàm in armis.

Tempore Constantini Imperatoris habuit S. Antonius Magnus discipulum, in Thebaide, Paulum nomine, qui ob animi sinceritatem & candidos mores, Paulus Simplex fuit appellatus. De quo Græci in Menologio, & Cardinalis Cæsar Baronius, in Martyrologio die 7. Martij, Abbas autem Anhusanus die 20. Iulij, meminerunt, & in uitis Patrum p. 1. plura referuntur. Hic Paulus Simplex, post diuturnam vitam asceticam, post ieiunia grauis-

Eccl. 9. 6.

II.

Gen. 6. 13.
Gen. 18. 17.
4. Reg. 5. 25.

Act. 5. 3.

Matth. 11. 25.

Prou. 3. 32.

III.

Abbas Anhusanus. part. 2. Stemmatio